



Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

Jn Omnes Totivs Anni Dominicas Æstivas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de
Coloniae Agrippinae, 1620

Privilegium Cæsarevm.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56306)

PRIVILEGIUM CÆSAREVM.

MATTHIAS diuina fauente Clementia, Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Sclauonia, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiria, Carinthia, Carniola & Wirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus, tenore præsentium, vniuersis: Quod cum demisse Nobis exponi curarit Noster, sacrique Romani Imperij fidelis dilectus Ioannes Kinchius, Ciuis & Bibliopola Colonienfis, sese in publicam vtilitatem eorum, qui vel concionandi munere funguntur, vel sacrae Theologiæ operam nauant, ac pietatem Christianam haurire desiderant, R. D. P. Bessæi Christianissimi Francorum Regis Concionatoris, Conciones & alia, quæ scripsit, Opera è Gallico in Latinum & Germanicum Idioma, non leui sumptu ac labore versa, typi beneficio publici iuris facere decreuisse, vereri autem ne quod sæpe fieri solet, æmulorum fraude, vel dolo editionem suam temere imitentur, sperato laboris & impendij sui fructu frustretur; humiliter nos rogarit, vt indemnitati suæ Autoritate nostra Cæsarea benignè clementerque consulere dignaremur. Nos pro singulari ea affectione, qua honestos ac pios istiusmodi conatus, quorum fructus in publicum redderet, adiuuare consueuimus, precibus supradicti exponentis elementer annuendum duxerimus, vt vigore præsentium annuimus; ac proinde vigore huius nostri diplomatis, vniuersis & singulis Bibliopolis, Typographis, aliisque librariam negotiationem exercentibus, serò edicimus & vetamus, ne quis supradictas Petri Bessæi Conciones, reliquaque eiusdem opera in Latinum & Germanicum Idioma ex Gallico translata, citra scitum, voluntatem, & consensum supradicti Ioannis Kinchij intra nostros Sacrique Imperij, nec non Regnorum & Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines per integrum decennium à prima editionis die computandum, clam vel palam, in simili vel alia forma, siue integra, siue diuisim imprimere, recudere, aut aliò recudenda dare, vel alibi etiam impressa adducere, veaumdare, vel alio quouis modo distrahere præsumat. Si quis verò secus faciendo Priuilegium hoc nostrum Cæsareum spernere, negligere aut transgredi ausus fuerit, eum nõ solum huiusmodi libris, perperam quippe recusis & adductis (quos quidem antedictus Ioannes Kinchius, ipsiusue mandatarius, vbicunque locorum deprehenfos siue propria autoritate, siue Magistratus loci istius auxilio, sibi vindicare poterit) de facto priuandum, sed & pœna insuper decem Marcharum auri puri Fisco nostro Cæsareo fraudis vindici & prædicti Kinchii, eiusue hæredum vsibus ex æquo pendenda decernimus, omni spe veniæ sublata mulctandum. Dummodo tamen libri nihil in se scandalosum, aut Orthodoxæ Religionis Catholicæ, Sacrique Romani Imperij Constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium, siue in præfatione, siue in contextu, seu alias quocunque modo contineant. Et iam dictus Kinchius, terna vt minus singulorum librorum exemplaria propriis suis sumptibus, quamprimum ad Cancellariam nostram Imperialem Aulam transmiserit.

Mandamus ergo vniuersis nostris ac Sacri Romani Imperij, Regnorumq; & Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis cuiuscunq; status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentia existant, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus; præsertim verò iis qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel superiorum suorum nomine, & loco iuris ac iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam Priuilegium hoc nostrum Cæsareum temerè aut impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos compererint præscripta pœna plecti, aliisque idoneis modis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam euitare velint. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in Arce nostra Lintzii die 18. mensis Iulij. Anno 1614. Regnorum nostrorum Rom. III. Hungarici VI. & Bohemici quarto.

MATTHIAS.

Locus sigilli.

V.H.L. von Dln.

Ad mandatum Sacra Cæs. Maiestatis proprium.

Io. Baruitius.